



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

81. An infans expositus ad Ecclesiae, vel domus alicujus valvas cum
scriptura collo appensa baptizatum esse testificante, sit baptizandus sub
conditione? Et infertur quid dicendum sit de baptizatis ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

De Sacram. Baptismi. Ref. LXXXI. 53

Et quid, si scriptum habeat collo appensum esse baptizatum?
Et an in dicto casu baptizandum est sub conditione, si praedictus infans reperitus fuerit in terris Infidelium. Ex p. 5. tr. 1. 3. & Misc. 1. Ref. 85.

Sup. hoc in Ref. 42. & in hoc casu, ubi sic ait: Queritur an sub conditione repeteri debeat Baptismus super pueris, qui reperiuntur apud portas Ecclesiarum, vel Hospitalium? Respondeo primo, si nullum testimonium de baptismo eorum possit haberi, baptizandos * esse saltem sub conditione, si scriptum habeant collo appensum, quo indicentur esse baptizati, res magis videtur dubia, multi enim tunc putant ne quidem sub conditione baptizandum; attamen Synodus Cameracensis, (si res aliter non posset constare) statuit sub conditione baptizari posse. Ratio esse potest, quia tale testimonium non est ita certum, ut fidem indubiam faciat, ergo cum in casu dubio semper inclinandum sit in favorem baptizandi, ne periculo exponatur ejus salus ob eandem baptismi, & altera ex parte examine diligentia praesumit, & conditione apposta non videtur periculum reiterationis baptismi, nulla videtur fieri tunc injuria sacramenti. Favent aliqua juris, c. de consecr. dist. 6. c. placuit, cum seq. Addo ego quod licet illud scriptum aliquam faceret fidem, quod sit baptizatus talis infans, eum tamen ignoretur a quo, & quomodo, si ve an debita forma, & a persona, qua sciret baptismi ritum essentiali, imo contingat talibus casibus quare tenebras, & ab idiotis mulierculis rem occulte, & cum defectu essentiali peragi, non mirum si dicatur hic aliquid ambiguitatis remanere, quae sufficiat ad reiterationem sub conditione, eum enim possint sciri & examinari persona, qua baptismi adfuerint, vel illum administrarint, ut sciatur an rite collatus fuerit. Sic enim quando obstitit baptizavit, volumus ut stricte & diligenter examinetur, ne error aliquis contigerit, quanto magis timeri potest, ne in similibus casibus muliercula magis ignorans baptizavit. Haec Marchantius.

2. Sed aliqua ex supradictis non placent Ochagavia de sac. baptis. q. 1. n. 8. ubi sic asserit: Loquendo de parvulis expositis tenendum est in eo casu quo testimonium sui baptismi in aliqua charta scriptum secum haberent, licet non esset nomine alicujus subscriptum, nullo modo baptizandos esse etiam cum conditione, eo quod certissimum sit parentes ejus voluisse reiterationem baptismi iterare media schedula, quod verum est, quando illi expositi essent inter Christianos, & non crederentur esse filii infidelium. Nam si exponerentur inter infideles & Judaeos, qui baptismum execrantur, tunc etiam si secum haberent testimonium, asseverans eos esse baptizatos, essent saltem sub conditione baptizandi, quia tale testimonium suspectum esse posset. Cum vero parvuli sine tali testimonio baptismi, inter Christianos exponerentur, si aliunde eos non constet esse baptizatos, baptizandi essent sub conditione. Ratio cur non sint baptizandi absolute, ea est, quia fortasse patres oblitii sunt apponere schedulam, etiam si sint pueri baptizati, vel praeventia temporis, ut peccatum adulteri, v. g. occultarent, schedulam apponere puero non poterunt. Nisi forte pueri expositi inter Christianos, & qui creduntur esse filii Christianorum excolere, & ex alio indicio in ea etate essent; quod si in nemore

essent pueri inventi, de quibus dubitaretur quibus essent parentibus nati, an fidelibus, vel infidelibus, deberent sub conditione baptizari, ut salutis aeternae amitterent periculum vitaretur. Et haec omnia docet Ochagavia, quae alibi a me satis confirmata sunt in addit. resol. 6. & nunc ad magis confirmandum apponam etiam auctoritatem P. Hurt. de sac. Baptismi disp. 1. diff. 1. 2. ubi ita habet. Non est baptizandus neque sub conditione infans expositus in terris Christianorum, quando scripto aliquo dicitur baptizatus, si alius in oppositum non adsit prudens aliquis timor; secus vero quando absque dicto testimonio, seu scripto expositus est, quia tunc sub conditione est baptizandus; absolute vero quando adsit scriptura, qua dicitur non esse baptizatus, quia tunc est omnino moraliter certum esse baptizatum. Ita Hurtadius. Sed si casus acciderit, ne deseras etiam cognoscere me ipsum in addit. resol. 6.

signanter in Ref. 3. not. praeterita, §. Difficultas. * Quae nunc inveni. t. f. in tom. 5. tr. 5. Ref. 41.

Vt in anno praeterita.

RESOL. LXXXI.

An infans expositus ad Ecclesia, vel domus alicujus valvas cum scriptura collo appensa baptizatum esse testificante, sit baptizandus sub conditione?
Et inferitur, quod sentiendum sit de baptizatis domi ab obstetricibus?
Et quid, si queras, an baptizatos ab haereticis liceat sub conditione iterum baptizare? Ex p. 9. tract. 6. & Misc. 1. Refol. 34. alias 35.

§. 1. Doctus, ingeniosus, & acutus Author est Antonius Quintanadv. Societatis Jesu. In Is. Lib. 1. mor. tom. 1. tr. 1. sing. 9. n. 3. mordicus affirmativam sententiam tenet. Probat hoc primo ex c. Placuit, dist. 4. de consecr. ibi: Placuit de infantibus, quos non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubio testentur, &c. absque ullo scrupulo eos baptizandos esse. Et in Rituali Romano Pauli V. §. De bapt. para. statuitur: Infantes expositi, & inveni, si re diligenter investigata de eorum Baptismo non constet, sub conditione baptizentur. Ubi notandum verbum, constet, quod significat claram probationem, ut notat Marchand. de probat. cons. 75. n. 21. At schedulam, nec noto sigillo, aut subscriptione formatam, quae a quo scripta indicet, firmum, aut certissimum testem, aut constans testimonium non esse, nec in ullo foro, & tribunali fidem humanam facere, imo & nullo modo probare, docent Roman. cons. 204. n. 3. & Card. Tule. 1. 7. concl. 74. n. 25.

2. Probatur secundo, ex nonnullis Conciliorum, ac Praelatorum decretis, in quibus statutum est consilio gravissimorum Episcoporum, & doctissimorum virorum, ut hujusmodi infantes, etiam si collo appensam hanc afferant schedulam, dummodo alia via de baptismi non constet, iterum baptizandos esse sub conditione. Sic in III. Concil. Mediol. sub S. Carol. Bortom. rit. de Bapt. infanti. sine. ibi: Infans expositus, licet appensum collo scriptum habeat, quo ille baptizatus significetur, si tamen re diligenter praerequisita, quemadmodum in Concilio Romano, ad hoc dubium sit, eum baptizatum esse, ea conditionis forma baptizetur; Si tu es baptizatus, ego te iterum non baptizo, &c. Unde colliges, schedulam non existimari in hoc Consilio testimonium adeo sufficiens, ut a baptismatione conditionali excuset. Idem statutum esse in Synodo Cameracensi testatur Marchant. Candel. Sacram. tr. 2. de Bapt. c. 2. q. 4. In Hispalensi Archiepiscopatu tempore sapientissimi, & dignissimi Praesulis D. Petri Castro, &

Sup. hoc in Ref. praeterita a lin. 9. & verf. Respondeo, & cursim cum Quintan hic cit. supra in fine §. penult. Ref. 79. & in tom. 5. tr. 19. a lin. 2.

INTON
Opera
Tom. 10 II
E III

Quinones, consilio sapientium virorum idem sancitum, & observatum fuit; sicut etiam illustri D. Fr. Didacus Mardones in sua Cordubensi Dicedi, Idem observandum iussit post sedulas doctissimorum Theologorum consultationes, ac affixum fuit Decretum hoc in S. Hyacinthi Xenodochio, necnon in Orphanotrophio Civitatis Toletanae, pro his expositis infantibus assignato. Sic etiam censere aliqui Theologi à Venetiari Patriarcha congregati; licet alij oppositum affirmarint, ut testatur Comitulus *respons. lib. 2. q. 1.*

3. Probatur tertio auctoritate plurium Doctorum ex nostra Societate, qui de hac re consulti sunt, & quorum subscriptiones apud me habeo. Ij ergo asserunt hos pueros, sive schedulam asserant, sive non, sine dubio baptizandos esse sub conditione; ab Episcopisque in suis Dicedibus hoc statuendum, & observandum. Sic docuerunt, & subscripserunt sapientissimi Didacus Ruiz de Montoia, Michaël Valquez, Didacus de Cordova, Franciscus Ruiz, Joannes Baptista Gonzalez, Franciscus de Aleman, Gundisalvus, Ramirez, Petrus Malgarejo, Joannes Baptista Lanzebeche, Ildesonus Fernandez de Cordova, Joannes Monus, Ferdinandus de Mendoca, Matthaus Rodericus, ac ferè omnes rem ex professo discussurunt. Hucusque Quintanadueñas, qui postea respondet ad rationes in contrarium; dicit enim, credi posse uni vetulae, seu testi asserenti alicujus baptismum, non vero huic schedulae. Primum, quia si vetula, seu testis, cognoscitur, quis, & qualis fuerit, & si ille fide dignus existat, dubium morale de baptismi valore tollet: at si non cognoscitur, ut contingit ex schedula, quomodo dignus fide existimandus. Quomodo ei credendum? quoque pacto morale certitudinem generabit? Porro scriptura huic eadem fides, quae scribenti, aut proferenti habenda est: & cum de scriptore non constat, neque de auctoritate schedulae, ut fidem faciat constare potest.

4. Ex his colligit, iterum baptizandos esse conditionaliter, non solum deinceps exponendos; sed qui haecenus expositi sunt cum hujusmodi schedula; etiam si senes modò, & Sacerdotes, ac Episcopi sint: in omnibus enim eadem est dubitandi ratio, ac periculum salvationis perseverat. Quae omnia procedere putat, etiam si viginti, aut triginta diebus à nativitate exponantur infantes cum schedula; quòd, scilicet, baptizari debent: adhuc enim perseverant, rationes dubitandi *supra* allatae. Sic viri docti à me consulti. Haec omnia Quintanadueñas.

5. Sed communis sententia Doctorum, quibus ego adhaesi in p. 5. tr. 1. 3. ref. 85. & in *Addit. ad p. 1. ref. 6.* est in contrarium. Idè novissime dixit Bannius in *Theol. mor. tom. 1. tr. 2. q. 18. in fine*, [quòd dubium facti est, cum absolute incertum est, utrum baptismus verè fuerit unquam datus, purà, quia puer expositus in via est, nulla ipsi adjecta schedula, quae de baptismi ejus testificetur; in eventu utriusque dubij est hic iterandus sub conditione; quòd si tale dubium non suppetat, est baptismi geminatio mortalis, utpote sacrilega secundum D. Leonem, & Augustinum.] Sic ille.

6. Verum, quia Pater Quintanadueñas pro sua sententia ex Authoribus impressis citat solum Marchantinum à me citatum; ego in ejus gratiam adducam virum doctissimum, S. Theologiae Professore in Academia Cracoviensi; & is est, Adamus Opatovius de *sacr. tr. de bapt. disp. 1. q. 6. n. 49.* ubi sic asserit: [Forma conditionata semper est licitum uti, quando est dubium, an sit ritè baptismus collatus. Sed, quando *obstetrix baptizat domi, semper est

dubium: nam perturbata ex subito casu, potuit in forma errare. Et experientia testis est, multas & in materia, & in forma errare. Tum pleraque venesca, quae infantes sine baptismò, tanquam hostias diabolo, oblatas esse volunt. Unde cum illis dico qui affirmant securus esse, ut pueros domi baptizatos ab obstetricibus, sub conditione baptizent ministri.

7. Sed queres, an baptizatos ab Haereticis liceat sub conditione baptizare? Respondeo, quamvis (ut jam determinatum est) sit baptismus validus, qui ab haereticis confertur; praesertim si cum intentione Ecclesiae debitam formam, & materiam adhibeant. Sed, quia saepenumèrò dubitatio exoritur de veritate baptismi collati ab Haereticis: nam magno odio Ecclesiam prosequuntur: tum, quia saepe formas immutant, & materias sacramentorum contemnunt, & sicut ab Ecclesia, ita ab ejus intentione animum aversum gerunt: idè Molan, *sue Practicae tr. 4. c. 3. n. 30.* ait: Saepè deprehensum est, necessariam eis in baptizando intentionem defuisse: unde tales sub conditione baptizandi.

8. De pueris verò expositis, sive habeant in collo scriptum appensum, sive non, quòd fuerint baptizati, dico, sub conditione esse baptizandos, ne manifeste pereant. [Haec omnia Opatovius, quae confirmant ea, quae idem Quintanadueñas asserit *in gul. 4. c. 5.* Itaque ex omnibus apparet, sententiam P. Quintanae esse fati probabilem, & praesertim ex subscriptione doctissimorum illorum virorum ex Societate, quos ipse adducit.

RESOL. LXXXII.

An infans in domo baptizatus ab obstetricibus possit iterum in Ecclesia baptizari sub conditione? Et ita baptizatus an peccet, & sit irregularis? Ex p. 5. tr. 13. & *miscell. 3. Ref. 86.*

§. 1. AD hunc casum affirmativè respondet Francisc. Sylvius in 3. p. *D. Thom. q. 66. art. 9. dub. 2.* ubi sic ait: Et si qui baptizatum domi ab obstetrice postea sub conditione baptizat, non sit irregularis, quaritur tamen an peccet? Verius arbitramur non peccare, quia semper licet ea forma conditionata uti, quando est dubium de baptismò ritè collato. Quando autem obstetrix domi baptizavit, semper est ejusmodi dubium, ne vel subito necessitatis casu turbata, aliter quam referant, dixerint, vel fecerint; aut semel & iterum deprehensa, quòd benè baptizavit, deinceps malitiose errent, ac nihilominus asserant, se more solito baptizasse. Experientia enim notum est multas in materia, vel forma errare, interdum per ignorantiam, vel turbationem, interdum verò per malitiam, quia sunt sortilegae, sive ob aliud. Ut igitur parvulorum salutem contulatur, securus est eos, tametsi ab obstetricibus domi baptizatos, postea baptizare sub conditione, nec potest in iterationis crimen venire, quòd factum esse omnino nescitur, ut ait S. Leo *epist. 37.* Hinc Molan, ut *sue pract. tr. 4. c. 3.* sic loquitur. Et si obstetrix asserant se baptizasse infantem, potest tamen cum in templum deferatur sub usitata conditione baptizari. Pastorale autem Mechlinense sic habet. Si re diligenter requisita dubium fuerit, utrum puer sit baptizatus, vel si sit baptizatus ab obstetrice sub conditione baptizetur. Et iterum conditionalis baptizatio faciendà est circa infantes, qui ab obstetricibus baptizati esse referuntur. Consentit & Synodus Iprensis sub Martino Rythovio *tr. 12. c. 5.* Hucusque Sylvius.

2. Sed

Quoad hoc lege vers. Nisi forte, s. ult. Refol. not. praeterita & alterum, §. ejus annot. Prima Ref. citata in lin. 2. hujus §. loc. cit. supra Refol. 80. Secunda vero, invenietur in tom. 5. tr. 5. Ref. 43.

* Sup. hac obstetrice in Ref. seq. & in alio §. ejus annot.

Sup hoc fa. pra in Ref. 72. cursum in §. penult. in principio.

Sup hoc fa. pra in Ref. 79. g. penult. ad medium, & in Refol. 87. g. Verum ad medium, vers. sed quando obstetricis.